

SCRIPTA

Numéro Scripta : 1738

Auteur(s) : Évreux (official)

Bénéficiaire(s) : Beaumont-le-Roger, Sainte-Trinité, dépendance Le Bec (prieuré)

Genre d'acte : charte

Authenticité : non suspect

Datation : 1267, mai

Action juridique : donation

Langue du texte : latin

Analyse

Robert de Fresney, parquier du parc du roi à Beaumont-le-Roger, concède tous les droits qu'il pouvait avoir en pâturages, prés, étangs.

Tableau de la tradition

Éditions principales

a. Deville Étienne, *Cartulaire de l'église de la Sainte-Trinité de Beaumont-le-Roger*, Paris, Champion, 1912, n° LXXXI, p. 65.

Texte établi d'après a

Omnibus hec visuris officialis Ebroicensis, salutem in Domino. Noveritis quod in nostra presentia constitutus, Robertus de Fresneio, parcarius feodatus de parco domini regis apud Bellomontem Rogeri, de parrochia Sancti Leonardi de Bellomonte, ut dicebat, recognovit et confessus est, se intuitu pietatis, et pro salute anime sue et animarum antecessorum suorum, dedisse, concecisse et in puram et perpetuam elemosinam dimisisse viris religiosis priori et conventui de Bellomonte Rogeri omne jus et omnem actionem quod vel quam habebat et habere poterat seu de cetero habiturus est, necnon et heredes sui, quacumque ex causa in dicto parco, dictis religiosis, spectante, ut dicebat, tam in pasturagiis, terris, pratis, aquis, quam in aliis rebus quibuscunque, ita videlicet quod prefati religiosi et sui successores premissa in puram et perpetuam elemosinam tenebunt, habebunt et possidebunt integre, pacifice, libere et quiete, absque contradictione seu reclamacione aliqua dicti Roberti vel heredum suorum de cetero facienda, et absque omni reddito, servicio, et exactione mundana, que ad manus dicti Roberti et heredum suorum possunt vel poterunt de cetero devenire. Prenominatus vero Robertus et sui heredes prefatis religiosis et suis successoribus premissa in omnibus et contra omnes tenentur garantizare et defendere, salvo jure alieno, vel alibi in propria hereditate sua ubicunque site, si necesse fuerit, valore ad valorem excambiare. Juravit insuper coram nobis prenominate Robertus spontaneus, non coactus, tactis sacrosanctis evangeliis, quod contra presentem donationem, concessionem et dimissionem seu aliquid permissorum, per se vel per alium, non veniet in futurum ; supponendo se, quantum ad hec, jurisdictioni curie Ebroicensi, ad quamcunque dyocesim se transferat Robertus antedictus. In cujus rei testimonium et munimen, nos ad petitionem dicti Roberti, sigillum curie Ebroicensis, una cum sigillo ipsius, presentibus litteris apposuimus. Quod autem vidimus, hoc testamur, salvo jure alieno. Actum anno gratie M° CC° LX° VII°, mense Maii.